

---

ANNO DOMINI MCCIII

# ELIAS DE COXIDA

MONASTERII DE DUNIS, ORDINIS CISTERCIENSIS ABBAS SEPTIMUS.

---

## NOTITIA.

(Bibliotheca Cisterciensis C. de Wisch, edit. secunda, anno 1656, Coloniae Agrippinae data, in-4°, p. 90.)

---

Elias de Coxida, a patria cognomen sortitus, pago scilicet territorii Furnensis in Flandria, abbas fuit cenobii nostri de Dunis, numero 7 ob eximiam vitae sanctimoniam Menologio Cisterciensi ascriptus, 8 Octobris. Cujus sanctitatem et excellentem doctrinam universa propemodum Europa admirata coluit, ut videre est in ejus Vita, quam ex monumentis Dunensis monasterii conscripsit et edidit Henricus in fasciculo, et latius in libro *De sanctis Eremitis Dunensis*, quem edidit lingua Hispanica. Hic ille est Elias, qui eloquentia sua, et auctoritate qua pollebat apud Leopoldum Austriae ducem, Richardum Angliae regem ex captivitate liberavit, ut ad longum in Vita describitur: « Plures olim in Dunensi bibliotheca legebantur ejusdem conciones, pietate et doctrina refertissimae, quae tamen injuria temporis modo exciderunt, » duabus exceptis, etiam in capitulo generali Cistercii habitis, quarum primam in antiquo ms. codice bibliotheca nostrae Dunensis, repertam, publicavi anno 1649, in hoc libro; secundam ex bibliotheca S. Gislens (ubi etiam habebatur prior jam dicta) ministravit vir doctissimus Georgius Gallopinus, ejusdem cenobii religiosus, quam una cum prima lectoribus exhibebo. Obiit ven. Elias anno 1203, 16 Augusti.

---

# ELIÆ DE COXIDA

## SERMONES.

---

### SERMO PRIMUS.

---

*Rectorem te constituerunt? noli extolli; sed esto in illis quasi unus ex ipsis (Eccli. xxxii).*

Si juxta prophetam (*Isa. li*) respicere jubemur ad Abraham patrem nostrum, et ad Saram quae peperit nos; utriusque loco, quasi petram de qua excisi sumus, reputare debemus communiter Ecclesiam istam; hæc enim est mater nostra, in cujus uterum iterum introivimus, ut iterum renascamur ad vitam, ut potemur a lacte, et satiemur ab uberibus consolationis ejus (*Isa. lxxvi*); ut de ea, quasi de horreo veri Joseph, frumenta percipiamus, non modo ad eum ut ipsi pascamur, sed etiam ad se-

men, ut alios reficiamus, et tanta benedictionum gratia fecundati, non solum ipsi fructum bonorum operum pariamus, sed etiam alios, exemplo nostri, patere faciamus; ut neminem tangat nota sterilitatis, maledictum in filiis Israel. Propter hoc huc usque cucurrimus, non ut currendi terminum hic figamus, sed ut materno ubere recreati, fortiores, alacriores et indeficientes curramus, donec ad metam nobis propositam perveniamus; neque enim idcirco ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut ibi sistant, sed ut liberius et uberius iterum fluant. Respicit ad nos turba magna, quam